

Sed nos *consequentiam* negamus : neque enim ad h̄o Lyncei sumus , ut videre queamus , quī sequatur , Sacra Scriptura intellecta hominem ad salutem sapientem reddere potest , ergo est sui ipsius *interpretans*.

Sextum , *Quia Scriptura divinō modō , cūm sit diuinus* , *utilis est ad doctrinam & redargutionem* : Ergo & ad docendum verum suum sensum , & refellendum falsum . Hoc modō dentiō argumentantur Polan. & Alst. loc. cit.

Nos iterum *consequentiam* negamus : Non enim Scriptura verum sui sensum eruit , ac falsum ab aliis erutum refellit , quamvis intellecta utilis esse concedatur docendis veris , & redarguendis falsis Fidei dogmatis ; sic enim restringi debet *antecedens* : Quoniam si latius accipiatur , ita ut ista Scripturæ utilitas ad omnia vera docenda , & falsa redarguenda extendatur , falsum erit , ut satis manifestum est.

Septimum , *Quia Scripturæ sensus est ipsa Scriptura* : ut recte scripsit Hieronymus super Epistolas ad Galatas : Non in verbis Scripturarum est Euangelium , sed in sensu : non in superficie , sed in medullâ : non in sermonum foliis , sed in radice rationis . Est & hoc argumentum Polan. loc. cit.

Cui respondemus , denuo *consequentiam* negando : neque enim illius rationem ullō modō assequi possumus.

Octavum Argumentum , *Quia Scriptura docet modum interpretandi seipsum* : docet autem eam exemplis , sicut sunt duo modi docendi , unus per regulas , seu præcepta , alter per exempla . Exempla interpretationis in ipsa Scripturâ adducit Polanus , cuius & hoc est argumentum , loc. cit. Matthæ. 2. vers. 17. 18. & 23. & cap. 3. vers. 3. Et cap. 4. vers. 13, 14, 15, 16. Et capit. 5. ubi explicatur Decalogus . Et cap. 8. vers. 16, 17. Et alia , quæ passim in novō Testamento exstant : Imò totum novum , ait , est interpretatio Veteris Testamenti . Sic Paulus interpretatur à se dicta Rom. 10: 8. Similiter interpretatur Scripturam per Scripturam , Roman. 13: 9.

Ad hoc argumentum respondemus per *consequentiae negationem* ; Nam scriptum , quod tradit modum seipsum explicandi , non statim seipsum per seipsum explicat : Posset enim tradere modum seipsum per aliud explicandi . Stringeret argumentum , si Scriptura doceret , aut se per seipsum esse interpretandam , aut modum se per seipsum interpretandi , quorum alterum , aut utrumque forsitan voluit Author , ut ea , quæ in probationem adducit , nempe Paulum Scripturam per Scripturam interpretatum fuisse , videntur innuere . Verum tum *Antecedens negatur* , nec probatur allatis exemplis : Priora enim referunt Prophetias quasdam de Christo fuisse impletas : in posterioribus autem exponuntur quædam V. Testamenti loca , sed non per alia , quod factum oportuisset , ut intentum inde ostenderetur.

Nonum Argumentum ; *Qui est Author Scripturæ , & summus legislator*,

act